

## MENS CANONISTAE CIRCA CONCUBINATUM <sup>(1)</sup>

D. Gerardus OESTERLE O. S. B., lector j. c. ex a. 1921 in Athaeneo Pontificio S. Anselmi de Urbe in tractatu de *matrimonio civili* ex plurimis annis auditoribus sequentem subministravit admonitionem: "abstineant sacerdotes a phrasi adhibenda "Concubinatus" pro "*matrimonio civili*". Ratio est duplex: primo habetur *mendacium*; nam matrimonium civile non est concubinatus; secundo ne sacerdotes iuste puniantur propter iniuriam verbalem nominando catholicos in mero matrimonio civili viventes "concubinarios".

*Primo* de iniuria verbali.

KNECHT<sup>2</sup> scribit: Usus vocis "Concubinatus" relate ad matrimonium civile repetitis vicibus provocavit actiones iudiciales, voce "concubinatus" adhibita sive in pulpito sive in administratione sacramenti poenitentiae. Ita paucos menses post vigentem legislationem circa matrimonium civile in Germania (1. I. 1876) Tribunal Cassationis quoddam Bavariae sententiavit: dictum sacerdotis cuiusdam: "convictus duarum personarum viventium in mero matrimonio civili est iuxta doctrinam catholicam concubinatus et publicum meretricium" est poena dignum; nam iuxta 131 Codicis poenalis huius tenoris: "qui ficta aut adulterata facta asserit et propagat, conscius sibi agi de factis fictis aut adulteratis, ut tali modo instituta aut ordinationes publicae potestatis reddat contemptibilia, punitur mulcta 300 Thalern aut carcere duorum annorum". KNECHT censet: actiones iudiciales *ex officio* nostro tempore esse rariores quidem, sed adhuc dari actiones iudiciales ratione iniuriosae offensionis et casus typicus profertur, verificatus in urbe Düsseldorfensi (Düsseldorf): cappellanus Schw. fuit accusatus a F., qui post divortium civile obtentum, non obstante matrimonio canonico, cum quadam vidua in matrimonio civili vixit, hac ex ratione: cappellanus assistens mulieri moribundae declaraverat: tu vivis in concubinato; cappellanus publice accusatus hac de re in quodam diario, dicitur usus eadem phrasi in altero diario. Actio fuit repulsa ex hac ratione: sacerdos nullo modo offendit maritum F., sed voluit et debuit

<sup>1</sup> Patet per se praesentem tractatum ne minimum quidem apicem doctrinae catholicae circa matrimonium civile intendere abolendum; e contra auctor adhaeret toto corde doctrinae traditae eaque propugnat, ut tot articuli ab ipso conscripti demonstrant; v. g. amplissimus articulus "Ehekrisis und Ehekritik im Lichte der päpstlichen Encyklika vom 31 Dezember 1930" *Th. Theol.*—prakt. Quartalschrift 84 (1931) p. 307 SS; 491 SS.

<sup>2</sup> *Handbuch des Katholischen Eherechts* (1928) p. 123 nota.